





EXERCITATIO
DE
ACTIONIBVS
ELECTIVE CONCVRRENTIBVS
SI ACTORI IVS PERSONALE COMPETIT

~~49~~
1753, 15
1671
20

QVAM
AVXILIANTE DEO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
ERN. AVG. CONSTANTINO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE
MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE REL.
CONSENTIENTE ILLVSTRI ICTORVM
IENENSIVM ORDINE

DIE XXI. MENSIS IVLII A. O. R. c1010cclliii.

PRAESIDE
ACHAT. LVDOVICO CAROLO SCHMIDIO

IVRIVM DOCTORE

PVBlice DEFENDET

IOANNES GEORGIVS SAENGER

LEVTEMBERGA SCHWARTZBVRGICVS LL. CVLTOR.

IENAE, LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.



EXERCITATIONES

DE
ACTIONIBUS
ELECTIVIS CONCURRENTIBUS
SI ACTORIBUS PERSONALE COMITIT

GRAN
AVXILLANTE REO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCEPS A DOMINO
DOMINO

FRANCO-CONSTANTINO
DUCE SAXONIAE LIVONIAE CLIVIAE
MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE RE
CONSENTIENTE ILLVSTRV ACTORVM
TENSIVM ORDINE

DE XII MENIBVS III A. O. R. EPISCOPVS

FRANCO
ACHT. I. P. D. O. N. O. C. A. R. O. S. C. H. N. I. D. I. C.
I. V. E. R. I. T. A. E. D. E. R. I. D. E. T.

IOHANNES GEORGIVS SAENGER

FRANCO-CONSTANTINO





EXERCITATIO
DE
ACTIONIBVS ELECTIVE
CONCVRRENTIBVS
SI ACTORI IVS PERSONALE COMPETIT.

SYLLABVS.

- §. I. *Capita dicendorum recensentur.*
§. II. *verum actiones electivae concurrant, ob obligationes immediate ex lege ortas, inquiritur.*
§. III. *ratio cur de diversitate factorum licitorum facta fuerit mentio.*
§. IIII. *divisio in pollicitationem et conventionem, huiusque in pactum et contractum, qui posterior vel verus vel praesumptus.*
§. V. *veri contractus dividuntur in innominatos et nominatos, harumque species recensentur.*
§. VI. *de pactorum differentia.*
§. VII. *delictorum diversitates.*
§. VIII. *ratio, cur plura de his divisionibus haud fuerint dicta, simulque series in recensendis actionibus observandus describitur.*
§. VIII. *de concurrentibus actionibus 1) ob pollicitationem, 2) ob vestita pacta, et 3) ob communia contractuum.*
§. X. *4) ob quasi contractus aditionis et negotiorum gestionis.*
§. XI. *ulterius litis confessionis.*
§. XII. *de concurrentibus actionibus 5) ob innominatos contractus.*
§. XIII. *6) ob consensuales et quidem primo mentionem.*
§. XIII. *ob locationem conductionem, emphyteusim, societatem et mandatum.*
§. XV. *de concursu 7) ob reales 8) verbales et 9) literales contractus.*
§. XVI. *de concursu 10) ob delicta, quae ex dolo aut ex culpa oriri possunt.*
§. XVII. *de concursu 11) ob quasi delicta et 12) ob vera delicta in genere.*
§. XVIII. *de concursu 13) ob delicta publica ordinaria et 14) extraordinaria itemque 15) ob priuata in genere et 16) ob furtum.*
§. XVIII. *denique 17) ob rapinam, 18) damnum iniuria datum et 19) iniuriam.*



§. I.

Quemadmodum iura personalia aut immediate ex lege oriuntur, aut ex facto obligatorio, hocce vero vel licitum sit, vel illicitum; ita de actionibus electiue concurrentibus ei, cui alter *immediate ex lege obligatus* est, primo loco sermo erit, deinde sequi debent actiones in electiuo concursu existentes, si quis iure personali *ex facto licito* fruitur, et denique illae agmen claudant, quae contra obligatum *ex facto illicito* locum habent.

§. II.

Quamuis nihil certius, quam quod actiones existant, quae *ex iure immediate ex lege orto*, oriuntur, nullas tamen cum his actionibus electiue concurrentes hactenus inuenire potuimus. Quam ob causam ad obligationes ex facto obligatorio licito ortas nos conuertimus.

§. III.

Vt actiones ob factum obligatorium licitum electiue competentes eo *distinctius* enucleari possint, sequentia de diuersitate factorum licitorum ad effectum obligationis in iure agnitorum, breuissimis verbis monenda videntur.

§. IIII.

Promissum serium, si ab homine haud acceptatum adest *pollicitatio*, si acceptatio eius, cui promittitur, secuta, tunc *conuentio* appellatur. Huic obligatio civilis aut in se inest, quod reddit *contractum*, aut non, hoc casu *pactum* dicitur. In contractu promissio eiusque acceptatio actionem producens fingitur vel declaratur, si prius, *praesumpti* seu *quasi contractus*, si posterius, *veri contractus* appellatione venit.

§. V.



§. V.

Veri contractus vel gaudent actione eiusdem nominis, qui *nominati* contractus dicuntur, vel ea destituuntur et obligatum reddunt alterum ad praestationem per vnus implementum, qui nomen *innominatorum* gerunt. Nominatorum denique quatuor omnibus patent genera: Quodsi enim ob solam promissionem eiusque acceptationem apud Romanos producant actionem, sunt *consensuales*: si accedere debet rei traditio, *reales*; si verba solennia, *verbales*; si denique scriptura ad sui valorem requiritur, *literales* appellantur.

§. VI.

Tandem ex notissimis iuris Romani principiis cognitum atque perspectum est, quod pactis aut extrinsecus accesserit vis agendi, aut hac quoque fuerint destituta. Haec vocantur *nuda*, illa vero *non nuda* seu *vestita*. Extrinsecus efficacia agendi gaudent 1) quia contractui bonae fidei in continentia adiecta 2) ob Praetoris et 3) Imperatorum iussum: ista *adiecta*, illa *praetoria*, hac vero *legitima* nominabantur.

§. VII.

Delictorum seriem eadem ratione breuiter determinabo, vt de actionum electiue concurrentium diuersitate, delictorum intuitu concessarum, accuratius fermo sit. Moralem turbationem eius, quod ad *res* suum alterius pertinet, *delictum* esse, nulli dubitamus: Prouti moralitas turbationis in dolo aut in culpa consistit, vel *verum* vel *quasi delictum* appellatur. Verum delictum vltius est *priuatum*, si priuatis, qui laesi sunt, ius puniendi competit, vel *publicum*, si publico ius puniendi tribuitur. Hoc *ordinarium* appellatur, quando certam in iure habet poenam, et *extraordinarium*, quando poena in iure determinata

† 3

desti-



definitur. Ad priuata Romanos retulisse: *furtum, rapinam, damnum iniuria datum et iniuriam* noto notius est.

§. VIII.

Vberiore explicationem harum diuisionum nemo desiderabit, quia ad scopum nostrum non pertinet tradere factorum licitorum et delictorum species; sed ea, quae adducta sunt, intacta relinqui haud potuerunt *ordinis gratia*, qui in recensendis actionibus circa facta licita et illicita concurrentibus obseruandus erit. Nullum genus harum actionum omitti haud dubitamus, si loquimur de concurrentibus actionibus 1) ob *pollicitationem* 2) ob *pacta vestita* 3) ob *contractus cuiuscunque generis* 4) ob *quasi contractus*, 5) ob *innominatos contractus*, 6) ob *consensuales*, 7) ob *reales*, 8) ob *verbales*, 9) ob *litterales*, 10) ob *delictum in genere*, 11) ob *quasi delictum*, 12) ob *verum delictum in genere*, 13) ob *publicum ordinarium* et 14) *extraordinarium*, 15) ob *verum delictum priuatum in genere*, 16) *furtum*, 17) *rapinam*, 18) *damnum iniuria datum*, et 19) *iniuriam*.

§. VIII.

Quantum ad *pollicitationem* (§. praec. n. 1.) exinde actionem locum haberi posse a) noto notius est; sed electiue concurrens remedium nos praeterit. Neque cum actionibus ex *vestitis pactis* oriundis (§. praec. n. 2.) nobis patent electiue concurrentes. b) Ordo, quem nobis proposuimus, tangit actiones electiue concurrentes *omnibus contractibus communes* (§. pr. n. 3.) vbi 1) electiue concurrentes actiones inuenimus contra dominum, ob contractum iussu domini peculii intuitu cum seruo celebratum, si aliquid in vtilitatem domini versum est. Datur enim actio *institutoria* vel *exercitatoria de in rem verso* et quod *iussu* c) quid quod *tributoria*, si dominus aequalitatem in diffri-



distribuendo peculio haud obseruauerat d) denique *condictio* contra dominum locum habet. e)

a) t. t. ff. *de pollicit.*

b) equidem EGGELING in *tract. de concursu et cumulat. act. cap. II. n. 32.* in ea versatur opinione, quod actio de constituta pecunia, quae pactum praetorium supponit, electiue concurrat cum actione principali; sed ipse EGGELING concedit et ex ibidem laudatis legibus 18. §. 1. fin. ff. *de constit. pec.* et 4. ff. *de his, qui effuder. vel deiecer.* satis patet, quod una ex his concurrentibus actionibus per litis contestationem electa ad aliam pateat regressus et non nisi solutione facta altera perimatur.

c) l. 4. §. fin. ff. *quod cum eo, qui in alien.*

d) §. 5. *Inst. eod.* l. 4. §. ult. ff. *eod.* l. 9. §. 1. et l. 11. ff. *de tributoria act. conf.* VINNIVS in *comment. ad §. 5. Inst. cit.*

e) §. ult. *Inst. quod cum eo, qui in aliena potest.* l. 29. ff. *de rebus creditis* l. 17. §. fin. ff. *de instit. act.* et l. ult. ff. *pro socio.*

§. X.

Cum contractuum specierum et ibidem electiue concurrentium actionum mentio quoque facienda, primo quasi contractus (§. VIII. n. 4.) considerandi veniunt, qualem aditio constituit f) si enim heres adit hereditatem 2) legatarius sub limitationibus (*Medit. praec. §. VI. lit. α. β. et γ.*) enumeratis, praeter actionem ex testamento electiue vitur rei vindicatione et actione *vili seruiana* seu *hypothecaria* (cit. loc.). Inter quasi contractus ulterius referenda est *negotiorum gestio*. g) Exinde oritur actio *negotiorum gestorum* h) cum qua 3) electiue concurrat actio *familiae erciscundae* aut ob paritatem rationis *communi diuidundo*, si ille, qui ignorantis negotia gerit, est coheres vel in *communione*.

f) §. 5. *Inst. de oblig. quae quasi ex contract.*

g) §. 1. *Inst. eod.*

h) *ibid. eod.*

i) l. 18.



l. 18. §. I. C. *familiae erciscundae* l. 3. C. *negot. gestor.* Equidem haud ignoramus, quod l. 18. §. penult. et l. 52. §. 1. ff. *familiae erciscundae* in casu, ubi coheres ignorantis coheredis negotia gessit, tribuat actionem familiae ercisc. et nullam faciat mentionem actionis negotiorum gestorum; sed tamen saluam esse rem nostram nulli dubitamus, quia 1) nec cit. leg. ff. nec aliae, quantum nobis cognitum, actionem negotiorum gestorum expresse excludant, non vero 2) exinde quod tribuatur actio familiae erciscundae actio negotiorum gestorum haberi potest pro exclusa; cum vnius positio nondum inuoluat alterius exclusionem et 3) si in legibus Digest. laudatis aut aliis vsus actionis negotiorum gestorum, si coheres coheredis ignorantis negotia gessit, esset prohibitus, iis tamen derogarent leges citatae codicis, quia recentiores. Haec cum ita sint, superuacaneum foret cum BRUNNEMANNO ad l. 18 §. I. C. *famil. ercisc.* distinguere, *utrum suntus in communem hereditatem necessario, utrum sponte facti. Priori casu familiae erciscundae, posteriori negotiorum gestorum actionem locum habere.* Nec arridet distinctio, quam formauit ad conciliandum dissensum, quem inuenisse putat EGGELING *tr. de conc. act. Cap. II. n. II, utrum heres vel socius in rem communem diuiduum, seu quod coheres aut codominus pro sua quisque parte gerere potest, aut indiuiduum gesserit existimans, priori casu negotiorum gestorum, posteriori familiae erciscundae aut communi diuidendo actionem instituendam esse.* Sed neutri limitationi subscribere possumus, quia leges codicis supra allegatae absque restrictione loquuntur: lege vero non distinguente, nec nostrum sit distinguere.

§. XI.

Tutela ad quasi contractus absque dubio pertinet k) Cum actione tutelae autem 4) electiue concurrere potest actio de distrabendis rationibus, si tutor iniustas composuerit rationes l) et *condictio furtiua*, si furandi animus penes tutorem deprehendatur m). Obligatio rei iudicatae conuenienter agendi ex nostra sententia haud immerito tribuitur quasi contractui litis contestationis n). *Actio rei iudica-*



iudicatae 5) electiue competit cum *imploratione officii iudicis* o) et si reus in iudicio diuiforio condemnatus est, *concurrit rei vindicatio* p) cum in his iudiciis actor dominium consequatur per solam rem iudicatam. q)

k) §. 2. Inst. *de oblig. quae quasi ex contr. nasc.*

l) l. 1. §. 21. ff. *de tutel. et ration. distrah.*

m) l. 2. §. 1. ff. *cod.*

n) STRYCK *tract. de action. forensibus Sect. I. membr. VIII. §. 28.* dissentit NICEVS in *monitis contra hunc tract.* ad cit. loc. sed carens probatione.

o) l. 6. §. 3. ff. *de re iudicata*, conf. GOTHOFREDVS in *not. ad b. leg. Dn. KVNHOLD* in *dissert. de implorat. offic. iudic.* HILLIGER *AD DONELLVM lib. XXVII. cap. III. lit. L. et GAILL. lib. I. Obs. CXIII. n. 9.*

p) §. fin. Inst. *de offic. iudicis*, conf. VLPIANVS *tit. XVIII. §. 16.*

q) VINNIVS in *comment. ad §. ult. Inst. de officio iud.* equidem LVDOVICI in *doctr. ff. lib. I. tit. 8. §. 15.* in ea est haeresi, quod actor per rem iudicatam semper consequatur dominium obiecti litis, licet nulla accedat traditio, sed sufficienti destituitur fundamento.

§. XII.

Cum plures electiue concurrentes actiones circa obligationes ex quasi contractibus ortas, ignoremus, ad *innominatos* nostra se vergit oratio (§. VIII. n. 5.). Actionem praescriptis verbis cum actione emti venditi aut alia nominata electiue concurrere negamus r) nec fieri potest, quia praescriptis verbis actioni non datur locus nisi deficiente ordinaria. s)

r) dissent WESENBECIVS *tit. de praescript. verb. n. 8.*

s) l. 2. et 3. ff. *de praescript. verbis.*



§. XIII.

Superfunt contractus *nominati*, vbi primo loco de *consensualibus* erit sermo (§. VIII. n. 6.) quorum quinque numerari species in vulgus notum est puta: emtio venditio, locatio conductio, emphyteuticus contractus, societas et mandatam. Circa *emtionem*, si res latenter vitiosa vendita est *ex edicto Aedilitio* 6) electiue concurrunt cum *actione redhibitoria* t) et *aestimatoria quanti minoris* u) si contractui societatis additum fuit pactum de praestandis epulis 7) electiue locum inuenit actio *pro socio* et *emti venditi*.

c) l. 31. §. 17. ff. de aedil. edicto.

u) l. 43. §. 6. l. 48. §. 2. et l. 61. ff. eod. clarius de hac electione loquitur l. 25. §. 1. ff. de except. rei iudic. conf. FRANTZIVS ad π. tit. de aedil. edicto. n. 99. et 100.

x) l. 69. ff. pro socio circa cuius interpretationem desudarunt CVAICIUS lib. III. obs. 17. et EGGELING de conc. act. Cap. II. num. 8.

§. XIII.

Cum *actione locati conducti* 8) electiue concurrunt *condictio furtiua* y) si colonus ex fundo conducto aliquid subtrahit et 9) *actio communi diuidendo* z) si res communis a socio conducta est. Si *emphyteuticarius* adest contractus praeter *emphyteuticariam actionem* 10) electiue concessam esse *rei vindicationem* et *hypothecariam*, supra (Medit. praec. §. XI.) docuimus. Ex *contractu societatis* oritur actio *pro socio*, cum qua 11) electiue competit *condictio furtiua* a) si socius rem communem abstulit et 12) *communi diuidendo iudicium*, si socius impensas fecerit in rem communem b) vltterius 13) *actio emti* sub iis limitationibus, et ex iisdem rationibus, quae (§. X. n. 3. et not. i.) recensimus. Cum
actione



actione *mandati* 14) electiue competit *condictio furtiua* si mandatarius, rem a mandante ad certum finem obtinendum datam, in alium vsu adhibet. c)

y) l. 34. §. 2. ff. de oblig. et act.

z) l. 35. §. 1. ff. locat. cond.

a) l. 47. pr. ff. pro socio.

b) l. 38. §. 1. ff. eod.

c) l. 22. §. 7. ff. mandati vel contra.

§. XV.

Post consensuales contractus sequuntur *reales* (§. VIII. n. 7.) ubi aduersus commodatarium, qui re commodata alia ratione, quam ipsi permillum, vtitur, vel eandem intervertit 13) electiue concurrunt actio *commodati* et *condictio furtiua* d) quid quod *rei vindicatio*. e) Aduersus depositarium, qui re deposita inuito domino vsus erat 16) electiue competunt *actio depositi* et *condictio furtiua* f) et 17) *actio depositi sequestraria* cum *rei vindicatione*. g) Ex actionibus electiue concurrentibus ob contractum *verbalem* (§. VIII. n. 8.) nobis innotescit 18) cum *actione ex stipulatu* concurrere posse *rei vindicationem* et *hypothecariam*, quod probatum dedimus simulque limitationes docuimus. (medit. praec. §. VIII.) Ex contractu *litterali* (§. VIII. n. 9.) actionem concurrere nos fugit.

d) l. 34. §. 1. ff. de oblig. et act. l. 16. ff. de condict. furtiua et l. 71. pr. ff. de furtis.

e) l. 9. in fin. §. de rei vindic.

f) l. 29. pr. §. depositi vel contra l. 16. ff. de condict. furtiua.

g) EGGELING de concursu et cumulat. act. cap. II. n. 19.



Delictorum intuitu actiones electiue concurrere haud raro solent. Etenim *ob delicta, quae ex dolo aut ex culpa ortum trahere possunt* (§. VIII. n. 10.) quale adesse noscimus, si vis illata h) 19) electiue comperit *actio quod metus causa cum rei vindicatione et personali actione* i) quando quis vi de fundo deiectus est. 20) Cum *interdicto vnde vi*, electiue locum inuenit *condictio triticiaria* k) quodsi ex secundo decreto actorem possidere non patiatur reus 21) electiue concurrunt *interdictum vnde vi, actio publiciana et actio in factum*. (medit. praec. §. XII. n. 16.)

h) quod probatum dedit Ill. DARIUS in *instit. iurispr. priuatae part. spec. §. 148.*

i) l. 9. §. 4. et 6. ff. *quod metus causa*, conf. WESENBECIUS in *comment. ad pandect. cod. tit. num. 9.*

k) *lex 2. ff. de condict. tritic.*

§. XVII.

(Sequuntur *quasi delicta*. (§. VIII. n. 11.) Huc pertinet *condictio triticiaria* locum habens, si in iudiciis stricti iuris culpa debitoris factum; quod res iusto tempore non fuerit praestita. l) Hoc casu 22) electiue concessa est *condictio triticiaria et interdictum vnde vi*. m) Ad *vera delicta in genere* progrediendum est (§. VIII. n. 12.) vbi 23) electiue concurrunt *actio doli cum aliis actionibus famosis* n) non aequae cum non famosis. o) Si dominus peculium dolose distribuit 24) electiue obuenire possunt *actio tributaria* cum aliis supra (§. VIII. n. 1.) enumeratis atque probatis. Propter dolosam alienationem ante litis contestationem iudicii mutandi gratia susceptam 25) electiue vti potest *actio edicti de alienatione iudicii mutandi causa facta et vtili rei vindicatione*. p) Si nauta, caupo aut strabularius aliquid subtraxit ex rebus illatis 26) electione gaudet



gaudet actor, vtrum auferentem ex edicto praetoris aduersus nauas, caupones, stabularios, vtrum actione furti, vtrum actione ex lege Aquila conuenire velit? q) sic quoque dolo supponitur, vt 27) *condictio ob turpem causam* et *furtiua* r) *electiue concurrant.*

- l) b. SCHAYMBURG *comp. Digestor. tit. de condict. tritic. §. 1.*
- m) l. 1. §. 1. et l. 2. ff. *de condict. tritic.*
- n) quale quid obuenerit in actione de dolo et actione mandati. RICHTER *dissert. de concursu action. cap. III. n. 43.* et ibi cit. scriptores.
- o) l. 1. §. 4. 7. et 8. ff. *de dolo malo* et hac ratione l. 2. C. *de dolo malo* interpretanda et limitanda. c. conf. RICHTER *cit. diss. cap. III. n. 38. seqq.* qui siml. respondet ad dubium, quod ex l. 23. ff. *de dolo malo* et aliis textibus obstantibus, formari possit.
- p) l. 27. §. 3. ff. *de rei vindicat.*
- q) l. vnica. §. 3. ff. *furti aduers. nauas, caupones, stabularios* l. 3. §. vlt. et l. 6. §. vlt. ff. *naut. caupon. stab.*
- r) l. vlt. C. *de condict. ob turpem causam.*

§. XVIII.

Quantum ad delicta publica ordinaria, (§. VIII. n. 13) et extraordinaria, (§. VIII. n. 14) *electiue concurrentes* actiones hactenus inuenire haud potuimus. Eam ob rem ad *priuata in genere* nos conuertimus. (§. VIII. n. 15) *Actio ad poenam priuato applicandam* 28) *electiue* compete-
bat apud Romanos *cum poena criminali.* s) *Furti* intuitu plures reperiuntur *electiue concurrentes* actiones (§. VIII. n. 16) Ad hanc classem pertinet 29) *electiue concurrens condictio furtiua cum rei vindicatione et publiciana* (medit. praec. §. XII. n. 7) et 30) *actio locati cum condictioe furtiua* sub circumstantiis alio loco (§. XIII. n. 8.) *euictis.* Item 31) *contra socium actio pro socio cum condictioe furtiua*



tiua. (§. cit. n. 11.) Actio depositi 32) cum eadem conditione
furtiua. (§. XV. n. 16.) Condictio furtiua 33) cum actione ad
exhibendum r) sub quibus circumstantiis 34) cum conditio-
ne furtiua electiue competat actio mandati (§. XIII. n. 14.)
enucleatum fuit. Si nauta, caupo aut stabularius furtum
commisit 35) cum actione furti edictum praetoris aduersus nau-
tas, caupones et stabularios electiue tribuitur. (§. XVI. n. 22.)

s) l. vt. ff. de delictis priuatis, quod quidem de omnibus delictis
priuatis admittere nouult RICHTER in *diff. de conc. act. cap. III.*
n. 109. sed genuino fundamento videtur destitutus. Neque ob-
stant l. 7. §. 1. ff. de iniuriis et l. vnic. C. quando civilis actio cri-
min. in his enim legibz, de concursu actionis rei persecutoriae et
criminalis sermo est, quarum neutra alteram tollit, nobis vero de
concursu actionis poenalis priuatae et publicae, qui omnino dici
debet electiuis, conf. BRUNNEMANN ad l. vnic. C. cit. GAIL-
LVS lib. I. obs. LXV. n. I. WESENBEGIVS ad *Digesta tit. de in-
iuriis n. 18.* et CVIACIVS lib. VIII. obs. 33.


t) l. 7. §. 1. ff. de condict. furtiua.

§. XVIII.

Rapinae intuitu (§. VIII. n. 17.) electiue concurrentes
actiones non latent. Ob *damnum vero iniuria datum* (§. VIII.
n. 18.) 36) praeter *legem Aquiliam* electiue concessam esse *actio-
nem depositi sequestrariam cum rei vindicatione* notum (§. XV.
n. 17.) et 37) *actio arborum furtim caesarum*, item *interdictum,
quod vi aut clam.* u) Vtterius 38) electiue concurrunt cum actio-
ne furti et edicto praetoris aduersus nautas, caupones et stabula-
rios. (§. XVII. n. 26.) Aduersus iniuriantem denique (§. VIII.
n. 19.) electiue concurrunt 39) *retorsionis remedium* et *ad pali-
nodiam actio.* x)

u) l. 25. §. 4. et 5. l. 43. ff. locati cond. l. 8. l. 9. l. 11. ff. arbor. furt.
caesar. l. 27. §. 11. ff. ad leg. Aquil.

x) STRVV. exercit. XXXXVIII. th. 63. quod generatim de omni actio-
ne per retorsionem exclusa contra dissentientes defendit RICHTER
diff. de conc. act. cap. III. n. 117. seqq.




Jena, Diss., 1753

ULB Halle 3
004 152 840



f
56.





479
1753, 15
1677
20

EXERCITATIO
DE
ACTIONIBVS
ELECTIVE CONCVRRENTIBVS
SI ACTORI IVS PERSONALE COMPETIT

QVAM
AVXILIANTE DEO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

ERN. AVG. CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE
MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE REL.

CONSENTIENTE ILLVSTRI ICTORVM
IENENSIVM ORDINE

DIE XXI. MENSIS IVLII A. O. R. ~~1753~~ 1754.

PRAESIDE
ACHAT. LVDOVICO CAROLO SCHMIDIO

IVRIVM DOCTORE
PVBLICE DEFENDET

IOANNES GEORGIVS SAENGER

LEVTENBERGA SCHWARTZBERGICVS LL. CVLTOR.

IENAE, LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

